



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

12. Ineptissimi medicastri ridicula remedia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

talis medicus, se examinat, an conuenientem ægro quæsiuerit medicinam? quotus quisque à se rationem exigit, an non ipse sua imperitia alteri fuerit causa moriendi? Si vigilasset, si libros voluisset, si se peritiores interrogasset, defunctum in vita retinisset. Si nescitis, ô miseri, etiam negligere, apud vos, est occidere. Et tamen quotus se quisque de hoc homicidio, apud sacerdotem accusat? Ite ad cœmeteria, obite tumulos sepulcorum; epitaphia, cippos, & sepulchralia saxa, atque in illis nomina legite mortuorum. Quoties conscientia vobis dicet; *Etiã hunc curare debuisses, immò potuisses, nisi ad eum è conuiuio nimis serò, aut ebrius venisses?* Quòd si conscientia vestra tam est stupida, vt obmutescat, ipsos defunctos audite è sepulchris ad vos clamantes: *Tu me occidisti: Tua inscitia, tua negligentia, tua inuidia, tua nimia cupiditas pecuniarum, mihi vitam ademit; quam si per te haberem, DEO seruirem, diuinam potentiam & benignitatem laudarem. Nunc hic jaceo, & taceo inter silentes, tua victima; tuus error; tua infamia; qui, si viuerem, tua gloria, tuus honor fuisset. Nam numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione? Numquid, cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & iustitia tua in terra obliuionis?* Quamquam autem nemo nunc audiat defunctos ita è sepulchris loquentes, certè tamen, ita loquentes ad diuinum tribunal, rotus mundus est auditorus.

XII. Quamobrem ijs, qui medicinæ dant operam, seriò inculcandum est, ne putent esse rem friuolam, aut parui momenti. De vita hominis agitur. Itaque non perfunctoriè audiendi sunt, neque quiuis, sed excellentissimi in hac arte magistri. Quorum non satis est dictata legere, sed etiam consilia audire, obseruare praxem, ijs adesse, quoties agrotis adsunt; omniumque experientiarum causas intimas curiosissimè indagare. Alioqui contingeret, quod dicitur duobus omnium mortalium ineptissimis medicis contigisse. Aiunt enim, fuisse quempiam minimè callidum hominem, qui cum in Rhetoricis scholis audiisset medicos jurisconsultis longè fieri locupletiores, illico apud se stauerit, per studia medicinæ ditescere. Emissus ergo è Gymnasis ad Academiam euolauit. Et quia illi ingenium pro Philosophicis subtilitatibus non erat idoneum, omissa Logica, Physicis quoque

Psal. 87. 12.

quoque ac Metaphysicis insuper habitis, statim animum appu-
lit, ad Hippocratis & Galeni scita perdiscenda. Quoniam au-
tem agnouit mentis suæ imbecillitatem, censebat, quod ingenio
deerat, labore compensandum, eam igitur sequi voluit factio-
nem, quæ ab experimentis se cognominat, empiricem. Roga-
uit itaque professorem suum, ut, si quando ad ægros vocaretur,
se, seu comitem & Achatem, seu discipulum, seu etiam famu-
lum, ascisceret, sineretque audire consilia, & remedia singula
describere, & in librum ad id destinatum annotare. Facile im-
petrauit, quod petijt mens tam alba, apud quàm nullius doli su-
spicio timebatur. Quid autem aliud ageret simplex homo, quàm
ut Coum illum Hippocratem imitaretur? *Is, cum fuisset mos, li-*
beratos morbis scribere in templo (Æsculapij) quid auxiliatum esses,
ut postea similitudo proficeret, exscripsisse ea traditur. Pari pacto
iste magistrum suum assidua umbra sequebatur, & quidquid il-
lum suadentem, vel dictantem audiebat, illico referebat in
suum palimpsestum. Quem quidem intra paucos menses imple-
uerat. Libro pleno, jam & ipse plenus superbia, putabat se me-
dicum factum. Itaque famam pariter & pecuniam aucupans, sta-
tim cœpit animas humanas negotiari. Nec defuerunt, qui deci-
pi vellent. Miserum enim vulgus magna pollicentibus facile
credit. *Palamq; est, ut quisque inter istos loquendo polleat, impera-*
torem illico vita nostra neciq; fieri. Quod igitur ingenio defuit,
linguâ compensauit; ipsa se fata regere posse professus. Sed non
diu triumphat vanitas, nemine prodente agnoscitur. Primum
remedium, quod à magistro ad dysentericum sanandum præscri-
ptum annotarat, erant pulli in ipso ovo decocti, admixta vini austeri
hemina, & pari modo olei pollentiq;: vocatus ergo scholasticus iste
ad primum ægrum, ut ex veruecum patria esse deprehenderetur,
primum à se notatum remedium præscripsit; &, quod erat ab-
surdus, æger ad quem vocabatur, prorsus contrario malo labo-
rabat, nam sedem diu, nullam habuerat, ventris beneficio desti-
tutus. Itaque ex ægro fecit ægriorem, & qui antea difficulter,
jam nihil omnino poterat egerere. Ita etiam processurus erat,
cum alijs morbo affectis. Nam secundo, secundum à se nota-
tum remedium, tertio tertium præscripturus erat, quocumque
demum

Plin. lib. 29:
nat. hist. c. 3:

Plin. lib. 29:
nat. hist. c. 1:

III

demum morbi genere laboraret; nisi fama ad magistrum peruenisset, qui eius inscitiam ac stuporem acerrimis verbis castigauit; eumque posthac non casu, sed ratione uti iussit. Arripuit dictum solers discipulus, & vocatus ad podagricum, palimpsestum inspexit, reperitque à magistro suo suatum capite dolenti ex catarrho, ut pedes lauaret. Bene est, inquit, contraria contrariis curantur. Magister meus capitis dolorem lotionem pedum sustulit, tu igitur, si pedum vis dolore leuari, caput laua. Voluit, credo, ei podagram in caput euocare. Cum ergo etiam hic se ridendum praeuisset, apud tertium existimauit, falli se non posse. Nam ad eum adierat, cui jam dudum magister suum dederat pharmacum, quo sumpto conualuit ægrotus. Recurrens ergo eodem morbo, idem ei pharmacum praeuuit, quo prius conualuerat. Sed sine effectu, non enim sensit remedium ægrotus, sed prius habebat. Admiratus ergo, qui factum esset, ut eadem medicina, quæ prius depulisset morbum, postea magis aggrauaret, cucurrit ad magistrum, & cum eo exposulauit, quod remedium sibi non bona fide patefecisset. Cui ille, Fateor idem fuisse pharmacum, sed ideò non profuit, quia ego non dedi. Indignatus magis discipulus, Ecquid, ait, manus mea æquæ est bona, ac tua? Æquæ bona, respondet magister, sed non æquæ docta; quia nondum didicit, quando, & quomodo danda sint pharmaca. Quæ profunt iuueni, nocent scni; quæ iuuant cælo tepido, lædunt frigido. Ad multas ars ista attendere debet mutationes. Hæc ubi audiuit discipulus, animum despondit, atque ex medico factus est cadauerum funerator, Diulus appellatus, ut homines innocentius sepeliret: quem aiunt etiam reliquis absurdis hoc addidisse, ut ex propria urina inspectione, de alienis morbis ariolaretur, putans, in medico, tamquam in speculo, omnes omnium affectiones relucere.

XIII.

Alter cum hoc de stupiditate certans, cum vidisset, magistrum suo ingens nomen accedere, ea causa, quia plerumque explorato venæ motu, dicebat, quid noxium æger comedisset. Hanc artem ab eo prece & pretio extorsit discipulus, sed sub arcani fide. Dixit ergo ei magister, se id non è vena, sed aliunde scire. Si enim cortices peponum, pomorum, nucum, zaporum, rapha-